



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

xxiii. De officio Archipresbyteri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

## De offi. Archipresbyteri.

9. *Vt no-*  
*strum.* Ordinandos autem solus episcopo repræsen-  
tato, atq; illos examinato. Sed & abbates & ab-  
batissas in sede ponito.

7. *Ad*  
*hec.* Institutio corporalis tã super beneficiis quàm  
dignitatibus ad ipsum pertinet.

4. *Cum sa-*  
*tis.* Curam tamen animarum sine licentia & man-  
dato episcopi nemini concedito. quod ad suum  
non spectat officium contra patrum constitu-  
tiones ne vendicato.

5. *Archi-*  
*diaconis.* Sententiam in aliquos, ni episcopi autori-  
tas adcesserit, promulgare ne audeto.

10. *Dile-*  
*cto.* Iurisdictionem in monasteriis intra metas ar-  
chidiaconatus sui sitas eam duntaxat, quam ip-  
se, vel decessores sui in ipsis vel similibus habue-  
runt, retineto.

### *De officio Archipresbyteri. Tit. 23.*

4. *Vt sin-*  
*gula.*

**V**T ne in aliquo sollicitudo ecclesiastica titu-  
bet, non in matrice tantùm ecclesia archi-  
presbyter esto, vnaquæque plebes archipresby-  
terum habeto. Imperiti volgi, & presbyterorũ,  
qui per minores titulos habitant, sollicitudinem  
gerito. vitam eorum iugi circumspectione ob-  
seruato. qua quisque diligentia diuinum opus  
exercebit, episcopo suo renunciato. Episcopus,  
etsi valde idoneus fiet, sic onera sua partitor.  
Ipse matrici ecclesiæ, plebibus archipresbyteri  
præsunto. hi tamen cuncta ad episcopum refe-  
runt. nihil contra eius decretum ordinanto.

1. *Vt Ar-*  
*chipresby-*  
*ter.*

Archipresbyter archidiacono quoque sub-  
esto. eius præceptis sicut & episcopi obedito,



pareto . Super omneis presbyteros in ordine presbyterali positos curam animarum agito. assidue in ecclesia stato . Qui in matrice ecclesia erit archipresbyter , in episcopi sui absentia ad eius vicem missarum solennia celebrato . collectam vel ipse dicito, vel alteri qui dicat iniungito. hoc ad eius officium specialiter pertineto.

Sed & ministerium eius in eo constitutum <sup>2. Ministerium.</sup> esto. Sacerdotum cardinalium ministerium, qui solenne officium agere debebunt, in communicatione corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi, vt scilicet à sacrosancto die dominico per omneis horas indeclinabiliter perseuerent, vt dignè & sanctè perficiatur opus dei ab eo cui committetur, vitam item eorum, ne cessent, nec scurrilitate torpeant, præceptis sui obtemperando episcopi, prouideto . Si episcopus deerit ( nisi quæ prohibita sunt) cuncta quæ in sacerdotum ministerio perfici debent (sunt autem hæc, fontes benedicere, infirmum oleo ungerere, penitentem infirmum episcopo consulto reconciliare, penitentiam cunctis aliis sacerdotibus iniungere) prouideto. In præcipuis festiuitatibus vel ipse solenniter celebrationem sacri impleto, vel ad eius iussionem cui committet peragito;

Archipresbyter quoq; vrbanus, si præsul ibi <sup>3. Officiū</sup> deerit, vice eius officiū inchoato. benedictiones presbyterales in ecclesia dato. sacrum quando volet ipse, vel cui iubebit cantato. Cum sacrum faciet episcopus, sacerdotibus, vt se vestimētis sacris induant, qualiter ad missam procedant, cu-



## De off. primi. & sacristæ.

stodi ecclesiæ, vt in sacrario propter infirmos eucharistia Christi non desit, præcipito. Infirmi ne sine confessione vel confirmatione corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi decedant, prouideto. de eo sacerdotibus præcipito. Eorum qui forinsecus adueniunt peccatorum confessiones ipse cum omnibus sacerdotibus recipito. Cum recepsit, per prouisionem pontificis magnam ipsis curam adhibeto. Ad Christianos faciundos, id est infantes baptisandos, & succurrendum, per iusionem illius sacerdotes omnia faciunto.

### *De officio primicerij. Tit. 24.*

1. Vt primicerius.

**P**RIMICERIVS, velut Archipresbyter, Archidiacono subesto. Diaconibus & reliquis gradibus ecclesiasticis in ordine positus præsto. disciplinæ & custodiæ eorum insilito. Diaconibus lectiones, quæ ad nocturna clericorum officia pertinent, dato. de singulis studium habeto. In quacunque re capacem sensum habuerit absque vlla negligentiâ vacato. Sin minus, hi a quo ipse iusserit instruuntor.

### *De officio sacristæ. Tit. 25.*

1. Vt sciat

**S**ACRISTA quoque Archidiacono subiacesto. Custodia sacrorum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, seu totius thesauri Ecclesiastici, item eorum quæ ad luminaria pertinent siue in cera siue in oleo, ad eius curam spectato.